Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 763
Quelle:
Copyright:

dam militem de Cura domestica. Inscriptio: *Gracioso et felici militi Raymundo Domino Castri Ambrosij Bernardus in senium adductus.* Initium: *Doceri petis a nobis* &c. Ut non semel *Vol. super.* relatum. *Bernardus* is non *Claravallensis* est, sed *Silvester Carnotensis,* de quo vide *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat.*

IV. *fol.* 32. e calce: *Proverbia Senece.* Excerptoris eruditionem ex ingressu disce: *Lucius anneus seneca de grecis fuit. locus eius in regione neronis* &c. Ipsa *Proverbia* non raro olim edita.

V. *fol.* 37. *Egloga kigbaldi* (pro Hugbaldi, Hucbaldi &c.) *de Caluis.* Sed praecedit *fol.* 36. *Invocacio poete*, quam integram huc transferre placet.

Musa, decus uatum, moderato, polymnia! gressum (moderare?)
Accelerans laetum Hattonis cernere vultum. (laetos vultus?)
Praesulis, officio comple, quod nomine signas.
Pangito priscorum memorans monumenta virorum,
Queis constat vatum non displicuisse Camenas,
Sed multis cumulasse viros pro carmine donis.
Minciadae quid contulerit sua musa Maroni,
Testis adest orbis vulgans sua famina passim.
Naso quid Ovidius, quid Porphyriusve Poetae, (Publil. Optat.)
Exilii poenas quorum solvere Camenae.
Augusto metri cum xenia Graeculus olim
Saepius afferret, sed praemia nulla referret,
Non prius audaces voluit compescere musas,
Distichon eliceret tanto de Principe donec,
Redderet et geminos gemino pro carmine numos.
Se memorans largum, regem sic carpsit avarum,
Multiplicemque sibi summam pro fenore sumpsit.
Addatur corvus humana voce salutans:
Caesar, ave! spretis querulus qui vocibus infit,
Impensas operis proprii periisse magistri, (operae?)
Augustus pretio quem mox mercatur enormi.
Temporibus priscis summorum more potentum
Musicanis haec lex fuerat servata Poetis,
Munere ne vacui calamo trivisse labella (vacuos?)
Poeniteat, neque se vano sudasse labore.
Eheu si perit haec forsan, studium perit omne
Discendi, dum nullus onus dependitur arti. (honos)
Heu cadit in quemquam scelus hoc, qui rite vocetur
Princeps atque potens! Taceant si forte Camenae
Doctiloquae, Calvis quisnam, rogo, carmina laudis
Componet pulchris? Quisnam, rogo, plena cachinno

Ob-